

(quod tamen omittitur in Missis de Requie); quo dicto, semper tenens manus iunctas, ad Missale accedit, facieque ad cornu Evangelii conversa dicit *Dominus vobiscum*, et *Initium vel Sequentia S. Evangelii secundum* etc., quae verba proferens, pollice manus dexteræ primo in libro principium Evangelii ac postea sibi frontem, os et pectus signat, manus iterum iungit, et lectionem Evangelii prosequitur.

**724.** Cum librum signat, manus sit extensa, non clausa, et palma manus librum respiciat; idem dicendum cum se ipsum signat; sinistram autem ponat extensam super Altare<sup>1</sup>, cum librum signat, et infra pectus, cum se ipsum signat.

**725.** Absoluta Evangelii lectione, utraque manu Missale accipit, aliquantulum sublevat, et inclinans se dicit *Per evangelica dicta*, postea illud osculatur eo loco, quo ipsum primo signo Crucis signaverit, subiungens *deleantur nostra delicta*<sup>2</sup>; deinde librum deponit, ac legile versus medium Altaris aliquantulum convertit, ita tamen, ut nullo modo Corporale tangat.

**726.** Sacerdos nunc manibus iunctis, ad medium Altaris redit, illud osculatur, ac dicit *Dominus vobiscum*, eadem via rediens in medium.

**727.** Si vero dicendum sit *Credo*, tunc reversus post Evangelium in medium Altaris, ad verbum *Credo* manus extendit et extollit usque ad humeros, statimque eas coniungit, et dicens *in unum Deum* caput inclinat, quod etiam fit ad verba *Iesum Christum et adoratur*, ut supra dictum est.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

<sup>2</sup> Merat. p. 2, t. 6, n. 2.

**728.** Ad verba *Et incarnatus est.... factus est*, manus in Altari extra Corporale extendit, dextero genu genuflexionem usque ad terram lente conficit, non tamen genuflexus sistit, sed statim se erigit ac manus iterum iungit usque ad verba *et vitam venturi saeculi*, quo tempore se signat a fronte ad pectus et ad humeros more solito, manus haud coniungens dum pronuntiat *Amen*<sup>1</sup>. Postea osculatur Altare et ad populum versus dicit *Dominus vobiscum*.

#### § IV. — De Offertorio usque ad Canonem.

**729.** Dicto *Dominus vobiscum*, per eamdem viam reversus, dicit *Oremus*, et haec proferens caput inclinat versus Crucem, manus elevat statimque dimittit ac iungit, iunctisque legit eadem voce Offertorium.

**730.** Lecto Offertorio, ambabus manibus extremitates veli Calicis ex parte anteriori accipit, illud aliquantulum elevat, et a posteriori parte detrahit et extra Corporale plicat, aut plicando Ministro porrigit; plicatum velum super mensam extra Corporale, sed non longe ab illo distans collocetur, ut super illud maioris commoditatis causa, palla in aperiendo et cooperiendo Calice ponи possit et facilius recipi.

**731.** His peractis manu dextera, sinistra interim super Altare extra Corporale posita, Calicem in nodo accipit, extra Corporale locat, pallam ab ipso removet et super velum ponit. Deinde pollice, indice et medio digito eiusdem manus Patenam cum hostia accipiens,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831, in una Marsor. ad 30.

illamque in medio Corporalis paululum a se distantem et ad altitudinem pectoris elevatam tenens pollicibus et indicibus utriusque manus, reliquis digitis subter eamdem extensis, ac quantum fieri poterit iunctis, oculis ad Deum in sublime elevatis ac statim ad hostiam dismissis, voce secreta dicit: *Suscipe, sancte Pater etc.*

**732.** Peracta oblatione, manus cum Patena aliquantum dimittit, cum illa (Patena) Crucem super Corporale, quin tamen illud tangat, format rectis paribusque lineis; deinde Patenam parum inclinat ad partem, quae respicit Crucem Altaris, ita ut hostia super Corporalis anteriorem partem ferme ad primae plicaturaे medium defluat, quin manibus illam tangat. Postea Patenam, manum sinistram super Altare extensam tenens, aliquantulum subtus Corporale in parte Epistolae deponit, ita tamen, ut tempore opportuno facile extrahe possit.

**733.** Iunctis nunc manibus, et sine praevia inclinatione ad Crucem, vadit ad cornu Epistolae, ibique stans versus medium Altaris aliquantulum conversus, manu sinistra Calicem inter nodum et cuppam accipit, ne in abstergendo Calice periculum fractionis incurrat, elevat paululum ac manu dextera cum purificatorio extergit, immittens manum intra cuppam et pollicem extra tenens. Postea pollice sinistre manus unam extremitatem purificatorii ad nodum Calicis tenens, alteram ad ipsius Calicis pedem defluere faciat, ne quae gutta vini aut aquae desuper decidat.

**734.** Celebrans Calicem sic super Altare positum tenens, ampullam a Ministro porrectam sumit, vinum Calici infundit; restituta ampulla, vel super pelvicolam, non vero super tobaleam deposita, porrectaque a Mini-

stro ampulla aquae, dextera signum Crucis super eam efformat (quod in Missa de Requie omittit), incipiens Orationem *Deus, qui humanae substantiae*, eadem inde manu ipsam aquae ampullam accipit, et dum pronuntiat *per huius aquae et vini mysterium*, alias aquae guttas infundit in calicem, deinde purificatorio dextero indici obvoluto, guttas vini vel aquae Calicis cuppae inhaerentes abstergit<sup>1</sup>, et dum hoc facit supradictam Orationem prosequitur, manus iungens et caput inclinans versus Crucem dum profert verba *Iesus Christus*. Deinde manu sinistra Calicem appropinquat ad Corporale, et Orationem explens, ipse in medium Altaris pergit, ubi manu dextera purificatorium plicatum super partem Patenae collocat, quae aperta extra Corporale appetet, ita ut eius extremitates Altare respiciant.

**735.** Reversus in medium Altaris manibus iunctis et omissa omni inclinatione, manu dextera Calicem ad nodum accipit, sinistra super Altare extensa, deinde ab hac coadiuvata pedem Calicis sustinens, illum ad altitudinem oculorum super medium Corporalis elevans, secreto recitat *Offerimus tibi Domine etc.*, oculos semper ad Crucem intentos habens; qua Oratione absoluta Calicem aliquantum dimittit, ac cum eo utraque manu Crucem signat super mediam et posteriorem partem Corporalis, ita tamen, ut neque hostiam supergrediatur, neque Calice hostiam aut Corporale tangat. Posito in medio Corporalis Calice, illoque palla cooperto, manibus iunctis super Altare positis, mediocriter inclinus dicit secreto: *In spiritu humilitatis etc.*; deinde se eri-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

git, manus disiungit, elevat manus ac oculos, manus iterum iungit oculosque dimitit, ac erecto corpore dicit eadem voce: *Veni Sanctificator* etc.; ad verba *benedic*, manu dextera signat utraque simul Oblata more solito, tenens laevam extensam super Altare. Vide n. 434.

**736.** Sacerdos, nisi in Missa solemni, non permittat, ut Minister, etiam in Sacris, Calicem detegat, paret, vinum et aquam infundat<sup>1</sup>.

**737.** Finita Oratione, Celebrans iunctis manibus accedit ad cornu Epistolae, ubi stans et conversus ad Ministrum lavat manus, id est extremitates digitorum pollicis et indicis, secreto dicens Ps. *Lavabo*; deinde conversus ad Altare manutergium accipit, digitos abstergit, ad verba *Gloria Patri* etc. caput Crucis inclinat<sup>2</sup>, ac dicto *Amen*, in medium Altaris redit manibus ante pectus iunctis.

**738.** *Gloria Patri* etc. in Missis Defunctorum et de Tempore, a Dominica Passionis ad Sabbatum sanctum exclusive, omittitur, nec ei *Requiem aeternam* aut quid aliud substituatur.

**739.** Celebrans in medio stans, oculos ad Crucem elevat, illosque statim dimitens, ac manibus more solito super oram mensae positis, mediocriter inclinatus dicit *Suscipe sancta Trinitas* etc., in cuius fine manus disiungit, super Altare extendit, illud osculatur; ac dein se erigens et ad populum conversus, dimissis oculis (quod semper observandum dum Celebrans ad populum convertitur), expandens ac statim coniungens manus,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

<sup>2</sup> Ibid.

dicit voce aliquantulum elata: *Orate fratres* etc., et quin moretur, exprens circulum per Evangelii latus, ad Altare iterum se vertit, prosequens voce secreta: *ut meum ac vestrum sacrificium* etc. Responso a Ministro *Suscipiat* etc., subiungit *Amen*, submissa voce.

**740.** Exposito SS. Sacramento circulum non perficiat, neque ad *Orate fratres* neque ad *Benedicat vos* etc., sed eadem via ad medium Altaris redeat, faciens etiam genuflexionem.

**741.** Deficiente seu non respondente Ministro, ipse Sacerdos dicit *Suscipiat* etc., verbis *manibus tuis* substituens *manibus meis*.

**742.** Stans in medio Altaris, manus ante pectus extendens, sine *Oremus* voce submissa legit Secretam seu Secretas, si plures sint, manus iungens (ut supra dictum est) ad *Per eundem Dominum nostrum* etc., vel ad *in unitate Spiritus sancti Deus* respective primae et ultimae Secretae, subiungens *Amen* ad primam, si plures sint, alias abrumpit conclusionem post verba *Spiritus sancti Deus*.

**743.** Ad finem vero ultimae conclusionis disiunctis manibus, dexteram super mensam ponit, ac sinistra Praefationem dicendam inquirit in Missali. Dein utraque manu super Altare extensa, voce alta dicit: *Per omnia saecula* etc., *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, ad quae verba manus elevat et extendit, elevatasque tenet usque ad alia *Gratias agamus* etc., sub quibus manus ante pectus iungit. Ad verbum *Deo oculos ad Crucem* elevat et statim caput inclinat; ad *Vere dignum et iustum est*, manus iterum extendit, elevat et Praefationem recitat vel propriam vel communem, ut tempus requirit.

**744.** In fine Praefationis iungit manus, mediocriter inclinatur, manus tenens iunctas ante pectus et non super Altare positas, et *Sanctus, Sanctus, Sanctus* etc. voce media recitat. Ad *Benedictus*, se erigit et manu dextera Cruce signat frontem, ad *qui venit* pectus, ad *in nomine Domini* humerum sinistrum, et ad *Hosanna in excelsis* dexterum, quin postea manus iungat cum Rubricae nihil dicant<sup>1</sup>.

§ V. — *De initio Canonis usque ad Consecrationem.*

**745.** Post verba *Hosanna in excelsis*, Celebrans folium vertit manu sinistra, dextera super Altare extensa; postea manibus oculisque ad Crucem sublevatis et statim dimissis, profunde inclinatus, tenens manus super oram Altaris more solito, secreto<sup>2</sup> dicit *Te igitur* etc.; post verbum *petimus* Altare in medio osculatur, se erigit, manus ante pectus coniungit: posita hinc sinistra supra mensam, dextera ter Crucem super Oblata formans dicit: *haec ♫ dona, haec ♫ munera, haec ♫ sancta sacrificia illibata*, prosequens quin prius manus coniungat more solito, id est manibus extensis, *in primis quae tibi offerimus*.

**746.** In hac Oratione, ad primum N. nomen regnantis Pontificis pronuntiatur, caputque aliquantulum versus librum inclinatur; ad secundum vero, nomen Episcopi Dioecesis, in qua Missa celebratur, non tamen Episcopi simpliciter Dioecesis Administratoris, aut Vicarii Apostolici, cum ordinariam iurisdictionem non ha-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831, in una Marsor. ad 30.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Sept. 1816, ad 53.

beant<sup>1</sup>: quod tamen omittitur Romae, cum proprius Urbis Episcopus summus Pontifex sit. Una alterave Sede vacante, nihil dicitur. Si Celebrans ipse sit Episcopus, in loco secundi N. dicit: *et me indigno servo tuo.*

**747.** Non licet adiungere nomina aliarum personarum quacumque distinctarum, ut sunt Abbates, Superiores Generales<sup>2</sup> etc., vel Principes, nisi hi ultimi speciali fruantur privilegio Apostolico, vel ipsis faveat immemorabilis et probata consuetudo<sup>3</sup>.

**748.** Si Celebrans nesciret nomen Episcopi, hoc casu dicet tantum *Antistite nostro*, intendens orare pro Episcopo dioecesano loci.

**749.** Ad *Memento, Domine*, elevans manus ante pectus aut ad faciem iungit, caput aliquantulum inclinat, non ita tamen, ut digitis mentum aut nasum tangat, et sic brevi temporis spatio manet, memoriam faciens Vivos, pro quibus orare in Sacrificio vult aut intendit, quorum nomina, si vult, secreto commemoret: deinde manus disiungit, ante pectus extendit et Canonem continuat.

**750.** In Oratione *Communicantes*, ad nomen *Iesu* caput inclinet versus Crucem, ad nomen *Mariae* vero versus librum, quod etiam faciat, si nomen alicuius Sancti, cuius festum aut commemoratione agitur, profert<sup>4</sup>. In fine Orationis, id est ad verba *Per eundem Christum* etc., manus ante pectus coniungat, quin tamen caput inclinet.

<sup>1</sup> S. C. de Prop. Fide 13 Ian. 1776.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 13 Febr. 1666.

<sup>3</sup> Merat. p. 7, t. 8, n. 2, §. VI.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 12 Apr. 1823, in una Panorm. — Festa Sanctorum, qui in hoc Canone nominantur, sequentibus diebus celebrantur: S. Lini

**751.** Ad Orationem *Hanc igitur oblationem etc.*, Celebrans manus ex sola parte pollicum iunctas, ac pollice dextero super sinistrum in modo Crucis posito<sup>1</sup>, super Oblata extendit, ita ut palmae sint apertae, extremitates digitorum ad medium pallam pertingant, et manus aut digiti pallam minime tangant. Ad conclusionem *Per Christum Dominum nostrum*, sine capitinis inclinatione manus retrahit, ante pectus devote coniungit, et prosequitur: *Quam oblationem etc.*

**752.** Ad verbum *quaesumus*, manus disiungit, ac sinistra super Altare extensa, dextera ter Crucem facit super Oblata, dicens: *bene ☩ dictam, ad ☩ scriptam, ra ☩ tam, et continuans rationabilem acceptabilemque facere digneris*, quin manus iungat; ad verba *ut nobis Cor ☩ pus*, hostiam: et ad alia *et San ☩ quis*, Calicem benedit manu dextera extensa; deinde ad verba *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri*, attollit manus ac statim ante pectus coniungit, et ad *Iesu Christi* caput inclinat.

**753.** Nunc, si opus sit, Celebrans pollices et indices Corporali extergit, dicens: *Qui pridie quam patetur*; post haec, hostiam in inferiori parte indice manus sinistre aliquantum premit, ut eo facilius illam accipere possit, inter pollicem et indicem manus dexteræ accipit, et parum elevatam super Corporale inter pollices et indices utriusque manus tenet, caeteris digitis sub ipsa coniunctis, manibusque iunctis usque ad pul-

<sup>23</sup> Sept., Cleti 26 Apr., Clementis 23 Nov., Sixti 6 Apr. (probabiliter, vel 6 Aug.), Cornelii et Cypriani 16 Sept., Laurentii 10 Aug., Chrysogoni 24 Nov., Ioannis et Pauli 26 Iulii, Cosmae et Damiani 27 Sept. (probabiliter). — (Bened. XIV, de Sacr. Miss. sect. 1, § 237; de Herdt, t. 1, n. 245).

<sup>1</sup> S. Rit. C. 4 Aug. 1663.

sum. Et cum hoc facit stans erectus, dicit: *acceptit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*.

**754.** Ad verba *et elevatis oculis etc.*, oculos in coelum elevat statimque dimittit; ad *tibi gratias agens*, caput inclinat; ad *benedixit*, tenens hostiam pollice et indice manus sinistre, dextera Crucem super eam facit; deinde noviter pollicibus et indicibus utriusque manus hostiam tenens ante pectus, prosequitur verba: *fregit deditque etc.*; post verba *manducate ex hoc omnes*, cubitos decenter super oram Altaris ponit et caput inclinat, dicens secreto, clare, distincte ac devote verba consecrationis: *Hoc est enim Corpus meum*; tunc se erigit, et cubitos ab Altari retrahit, semper tenens Hostiam ambabus manibus super anteriorem partem Corporalis, ita ut pulsus manuum intra Corporale requiescant, dexterum genu flectit usque ad terram cum gravitate et quadam pausa, adorans SS. Sacramentum (quod est observandum etiam ante elevationem Calicis); surgit, S. Hostiam ambabus manibus elevat recta linea, ita ut a populo circumstante videri possit, oculos tenens intentos in eam; postea Hostiam dimittit, super Corporale collocat, relinquens eam primo manu sinistra, deinde etiam dextera, iterum genu dexterum flectit ac statim surgit. Deinceps pollices et indices non disiungit usque ad ablutionem digitorum inclusive, nisi ad tangendam consecratam Hostiam, ut dictum est alibi.

**755.** Celebrans nunc, et non statim ac depositus Hostiam, pallam inter indicem et medium digitum manus dexteræ accipit, eam ab ore Calicis elevat ac super velum plicatum collocat, digitis liberis manus sinistre super pedem Calicis positis, ut eum teneat; deinde dicit

*Simili modo* etc., pollices et indices leviter confricans super os Calicis abstergit, non ad marginem sed in medium, ut si aliqua fragmenta Hostiae digitis adhaeserint, in Calicem decident.

**756.** Ad verba *acciens et hunc praeclarum Calicem* etc., Calicem ambabus manibus accipit, ita tamen, ut pollices et indices coniuncti ex parte anteriori, reliqui vero digiti manuum ex parte posteriori Calicem inter nodum et cuppam teneant; illum aliquantum super Corporale elevat ac statim dimitit, quin tamen manus amoveat, prosequens verba *in sanctas ac venerabiles manus*; ad *tibi gratias agens*, caput inclinat versus Hostiam consecratam; ad *benedixit*, sinistra Calicem tenens, iunctis tamen semper duobus digitis, dextera illum benedit.

**757.** Peracta Cruce, Celebrans Calicem modo num. praeced. indicato ambabus manibus accipit, et post verbum *dicens* cubitos super Altare ponit, caput inclinat, ac tenens eum paululum elevatum, non studiose ad se conversum, digitis manus dexteræ ad nodum ligatum, digitis liberis sinistrae pedem sustinens, profert verba consecrationis: *Hic est enim Calix* etc. eadem gravitate ac præcisione, ut dictum est de consecratione Hostiae, nec os nec nares in ipsum immittens.

**758.** Post consecrationem Calicem in medio Corporalis ponit, se erigit prosequens verba *Haec quotiescumque* etc., genuflectit, adorat, surgit, Calicem manu dextera ad nodum, sinistra ad pedem accipit, elevat recta linea super Corporale, ut a populo videatur, comitans eum oculis suis; postea eum dimitit, super Corporale ponit, palla tegit, genuflectit ac surgit.

**759.** Plura hic advertenda sunt; primo, caveat Sacerdos, ne in elevatione Calicis, vel alia quacumque actione, Manipulo Hostiam tangat aut in terram cadere faciat. Secundo, quod post Consecrationem usque ad digitorum ablutionem, quando manus super Altare ponendae sunt, semper intra Corporale<sup>1</sup> ponantur, et non super oram Altaris, ut iam n. 472 dictum est. Tertio, quoties digitis S. Hostia tangitur, illos super Calicem, ut supra n. 755 dictum est, absterget. Quarto denique prudens est, digitis liberis manus sinistrae Calicis pedem tenere, quoties dextera circa illum occupatur in tegendo, detegendo, etc. etc.

#### § VI. — A fine Consecrationis usque ad Communionem.

**760.** Celebrans nunc disiunctis et ante pectus expansis manibus, atque aliquantulum ad Missale conversus, dicit: *Unde et memores* etc.; post verba *de tuis donis ac datis*, iungit manus ante pectus, et sinistra super Corporale posita, dextera ter super Hostiam et Calicem simul Crucem facit dicens: *Hostiam  $\text{\texttimes}$  puram, Hostiam  $\text{\texttimes}$  sanctam, Hostiam  $\text{\texttimes}$  immaculatam*; deinde, quin tamen prius manum dimitat, signat semel super Hostiam dicens: *Panem  $\text{\texttimes}$  sanctum vitae aeternae*, et semel super Calicem: *et Calicem  $\text{\texttimes}$  salutis perpetuae*.

**761.** Quin manus iungat, iam vero illis more solito ante pectus extensis, prosequitur: *supra quae propitiatio* etc. Deinde profunde inclinatus, iunctis ac super

<sup>1</sup> Rubric. Missal. De Ritu celebrandi Missam, t. X, n. 1; et S. Rit. Cong. 7 Sept. 1816.